

M.
N. 6-3

09.B/22-005

CELEBERRIMO VIRO
AB: ANTONIO JOSEPHO CAVANILLES

JOSEPH ANTONIUS BONATO

F.

Vix proxime elapso mense Novembri publici juris feci, non tamen sine aliqua animi trepidatione, Opusculum quoddam, cui titulus: PISAURA *Automorpha* e COREOPSIS *Foeniosa*, *Pianta Nuova*; idque ut Clarissimi Viri Joannis Marfilii in Gymnasio hoc Patavino Botanices Professoris consilio ac desiderio satisfacerem, qui duas illas exoticas Plantas in Publico hoc Viridario a se diligentissime cultas ipse omnium primus evulgandas properabat, quasi novissime ab usque anno 1790. a se detectas; sibi namque nulli antea fuisse cognitae omnino persuasum erat.

Accessit nova dubitandi ratio ex tot tamque locupletibus in hoc idem argumentum postrema hac ætate editis Voluminibus, ne quis scilicet, me inscio, (quis enim omnes & singulos, qui ubique prodeunt, Libros novit?) hujusmodi illius inventum præcessisset, Plantaque eandem, licet non eodem nomine, divulgasset.

Invalescere vero quotidie magis errandi timor, dum assererem, omnes profus haec Plantarum notitiam latuisse, quippe qui noveram earum semina anonyma ad nos allata fuisse ex Matrito, ubi difficilimum videbatur Vegetabilium hujusmodi venustatem curiosiores indagines tot illustrium doctissimorumque Hominum evasisse, qui Herbaria Scientiæ & præsidium & decus audiunt, inter quos splendidum certe locum, Vir Sapientissime, Nomen tuum tantopere ubique celebratum obtinet.

Nec mea me fefellit opinio. Quod verebar, id accidit. Postquam frustra unde undique, & Bibliothecas perlustrando, & apud Librarios nostros inquirendo, eximium illud Opus tuum annis 1791. & 1793. vulgatum sub hoc titulo: ANT. JOSEPHI CAVANILLES *Icones & Descriptiones Plantarum, quæ aut sponte in Hispania crescunt, aut in hortis hospitantur. Martii ex Regia Typographia in fol. cum fig. æneis*, mihi quæ tantummodo per Litterarias Ephemeridas fama notum; præteritis diebus forte manibus versans *Partem II. Tom. III. Classis Botanica pag. 568. Encyclopædiæ Methodicæ*, quæ Typis Seminarii Patavini prodit, in oculos casu nescio quo incurrit sub Litera L. LOPEZE à grape, LOPEZA *racemosa Cav. Pl. Ic. 12. t. 18.*, cujus descriptio adamussim respondet Plantæ illi a me laudatæ, quæ in nostro hoc Viridario PISAURA *Automorpha* vocitur.

Hoc nempe erat, vir præstantissime, quod te monitum volebam, ut tibi gratius accideret dum me ipsum audias ultro fatentem, a Te primum Plantam hujuscemodi fuisse in vulgus prolatam; utque eidem Marfilio mihi quæ morem geram, quibus quam maxime displiceret de tua laude licet invite aliquid decerpisse, dum ipse quidem hanc suam Plantam festinat exponere, ego

vero sedulitati ejus adjutrices manus tuas habeo; eo consilio, ne alius quispiam hoc ipsum, quod egomet ingenuè fateor, vel Illi vel mihi queat objicere.

Quum vero Classis Botanices Encyclopædia in eadem Seminarii editione vix Alphabeti dimidium attigerit, vehementer suspicor, sub alio aliquo Genere aut Specie descriptionem extare alterius Plantæ in eodem meo Opusculo delineatæ, quæ apud nos COREOPSIS *Formosa* dicitur; doctissimus enim Vir movet, Plantam quandam à Te describi, cui nomen, COSMOS *Bipinnatus*, quæ tamen in Encyclopædia sub hac appellatione deservatur, cujusque definitionem expecto: suspicor, inquam, novum hoc Plantæ Genus nihil aliud fortasse esse, quam Species illa nova a nobis exhibitæ & definita, nempe COREOPSIS *Formosa foliis connatis, quasi ferulaceis, bi-pinnatis, laciniis linearibus sulcatis, corolla rosea decidua*. Tuum circa hoc judicium esto, nemo enim alius poterit melius de re hac tota decernere.

Oro interim obtestorque, ut mihi perhumaniter indices, a quonam Bibliopola nostris hinc Regionibus propinquiore petendum mihi sit tuum illud Opus celebratissimum, tot tantorumque laborum studiorumque tuorum fructus, ne diutius pretiosissimo hoc thesauro caream, dum nihil interea intentatum relinquam, ut intelligam, si in alia aliqua Italiæ Urbe venale profect.

Sensu hæc animi mei in Tui admirationem & venerationem abrepti ea humanitate excipias velim, quæ tam late pertinenti Scientiæ & Ingenio tuo consociata, Te honore tanto apud omnes afficit, ut omnem laudem exsuperes; ac pro certo habeas, me Tibi devotissimum semper fore.

Ut vero argumento aliquo observantiam meam Tibi commendem, dicam aliquid de me, si de me aliquid dici potest. Quum ob adversam Professoris Marfilii valetudinem, & ætatem jam in senium vergentem, munificentia EXCELLENTISSIMORUM STUDII MODERATORUM, in ejus locum, tanquam hujusce Viridarii Inspector & Curator suffectus sim, nihil vehementius opto, quam aliquam ex cultis & nostratibus Plantis, Te benevole postulante, ad tuos Hortos transmittere; a Te invicem enixis precibus petens rariora aliquot Plantarum semina vel nobis prorsus ignota, vel frustra alibi conquisita: quo munere nihil mihi gratius posset contingere ad Viridarii hujusce nostri decus & ornamentum amplificandum.

Si, ut optaveram, licuisset, una cum hac Epistola per Legatum Venetum Tibi transmissa, exemplar etiam Opusculi mei, cujusmodi tandem sit, ad te misissem; quod certe factum, statim ac viam & rationem id præstandi mihi aperias.

Quemadmodum nullus dubito, id totum quod a me hæcenus dictum est, pro tua singulari benignitate, a Te probatum iri; ita spero fore, ut Litteraria Respublica ex hoc intelligat, neque Marfilium, neque me voluisse laudem, circa unius, vel etiam circa ambarum fortasse Plantarum publicationem, si tota hæc tua sit, Tibi ullo modo præcipere. Vale

Patav. Die XIII. Januar. MDCCXCIV.

CELEBERRIMO VIRO
AB: ANTONIO JOSEPHO CAVANILLES

JOSEPH ANTONIUS BONATO

F.

Vix proxime elapso mense Novembri publici juris feci, non tamen sine aliqua animi trepidatione, Opusculum quoddam, cui titulus: PISAURA *Automorpha* e COREOPSIS *Formosa*; *Plantae Novae*; idque ut Clarissimi Viri Joannis Marfilii in Gymnasio hoc Patavino Botanices Professoris consilio ac desiderio satisfacerem, qui duas illas exoticas Plantas in Publico hoc Viridario a se diligentissime cultas ipse omnium primus evulgandas properabat, quasi novissime ab usque anno 1790. a se detectas; sibi namque nulli antea fuisse cognitatas omnino persuasum erat.

Accessit nova dubitandi ratio ex tot tamque locupletibus in hoc idem argumentum postrema hac aetate editis Voluminibus, ne quis scilicet, me infcio, (quis enim omnes & singulos; qui ubique prodeunt, Libros novit?) hujusmodi illius inventum praecessisset, Plantasque easdem, licet non eodem nomine, divulgasset.

Invalescebat vero quotidie magis errandi timor, dum assererem, omnes profus haecenus harum Plantarum notitiam latuisse, quippe qui noveram earum semina anonyma ad nos allata fuisse ex Matrilo, ubi difficilimum videbatur Vegetabilium hujusmodi venustatem curiosiores indagantes tot illustrium doctissimorumque Hominum evasisse, qui Herbariae Scientiae & praesidium & decus audiunt, inter quos splendidum certe locum, Vir Sapientissime, Nomen tuum tantopere ubique celebratum obtinet.

Nec mea me sefellit opinio. Quod verebar, id accidit. Postquam frustra undique, & Bibliothecas perlustrando, & apud Librarios nostros inquirendo, eximium illud Opus tuum annis 1791. & 1793. vulgatum sub hoc titulo: ANT. JOSEPHI CAVANILLES *Icones & Descriptiones Plantarum, quae aut sponte in Hispania crescunt, aut in hortis hospitantur. Martii ex Regia Typographia in fol. cum fig. aen.*, mihi quae tantummodo per Litterarias Ephemeridas fama notum; praeteritis diebus forte manibus versans *Partem II. Tom. III. Classis Botanicae* pag. 568. *Encyclopaediae Methodicae*, quae Typis Seminarii Patavini prodit, in oculos casu nescio quo incurrit sub Littera L. LOPEZE à grape, LOPEZA racemosa Cav. Pl. Ic. 12. t. 18., cujus descriptio adamussim respondet Plantae illi a me laudatae, quae in nostro hoc Viridario PISAURA *Automorpha* vocitatur.

Hoc nempe erat, vir praestantissime, quod te monitum volebam, ut tibi gratius accidat dum me ipsum audias ultro fatentem, a Te primam Plantam hujusmodi fuisse in vulgus prolata; utque eidem Marfilio mihi quae morem geram, quibus quam maxime displiceret de tua laude licet invite aliquid decerpisse, dum ipse quidem hanc suam Plantam festinat exponere, ego

vero sedulitati ejus adjutrices manus admoveo; eo consilio, ne alius quispiam hoc ipsum, quod egomet ingenue fateor, vel illi vel mihi queat obicere.

Quum vero Classis Botanices Encyclopædia in eadem Seminarii editione vix Alphabeti dimidium attigerit, vehementer suspicor, sub alio aliquo Genere aut Specie descriptionem extare alterius Plantæ in eodem meo Opusculo delineatæ, quæ apud nos COREOPSIS *Formosa* dicitur; doctissimus enim Vir monet, Plantam quandam a Te describi, cui nomen, COSMOS *Bipinnatus*, quæ tamen in Encyclopædia sub hac appellatione defileratur, cujusque definitionem expecto: suspicor, inquam, novum hoc Plantæ Genus nihil aliud fortasse esse, quam Species illa nova a nobis exhibita & definita, nempe COREOPSIS *Formosa foliis cuneatis, quasi ferulaceis, bi-pinnatis, laciniis linearibus sulcatis, corolla rosea decidua*. Tuum circa hoc judicium esto, nemo enim alius poterit melius de re hac tota decernere.

Oro interim obsecroque, ut mihi perhumanitè indices, a quonam Bibliopola nostris hinc Regionibus propinquiore petendum mihi sit tuum illud Opus celebratissimum, tot tantorumque laborum studiorumque tuorum fructus, ne diutius pretiosissimo hoc thesauro caream, dum nihil in-terea intentatum relinquam, ut intelligam, si in alia aliqua Italiæ Urbe venale profect.

Sensa hæc animi mei in Tui admirationem & venerationem abrepti ea humanitate excipias velim, quæ tam late pertinenti Scientiæ & Ingenio tuo consociata, Te honore tanto apud omnes afficit, ut omnem laudem exsuperes; ac pro certo habeas, me Tibi devotissimum semper fore.

Ut vero argumento aliquo observantiam meam Tibi commendem, dicam aliquid de me, si de me aliquid dici potest. Quum ob adversam Professoris Marfilii valetudinem, & ætatem jam in senium vergentem, munificentia EXCELLENTISSIMORUM STUDII MODERATORUM, in ejus locum, tanquam hujusce Viridarii Inspector & Curator suffectus sim, nihil vehementius opto, quam aliquam ex cultis & nostratibus Plantis, Te benevole postulante, ad tuos Hortos transmittere; a Te invicem enixis precibus petens rariora aliquot Plantarum semina vel nobis prorsus ignota, vel frustra alibi conquesta: quo munere nihil mihi gratius posset contingere ad Viridarii hujusce nostri decus & ornamentum amplificandum.

Si, ut optaveram, licuisset, una cum hac Epistola per Legatum Venetum Tibi transmissa, exemplar etiam Opusculi mei, cujusmodi tandem sit, ad te misissem; quod certe faciam, statim ac viam & rationem id præstandi mihi aperias.

Quemadmodum nullus dubito, id totum quod a me hætenus dictum est, pro tua singulari benignitate, a Te probatum iri; ita spero fore, ut Litteraria Respublica ex hoc intelligat, neque Marfilium, neque me voluisse laudem, circa unius, vel etiam circa ambarum fortasse Plantarum publicationem, si tota hæc tua sit, Tibi ullo modo præripere. Vale.

Patav. Die XIII. Januar. MDCCXCIV.